



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. II. Vtrum Christus secundum quod homo sit mediator Dei & hominum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

QVÆSTIO XXVI.

De eo quod Christus mediator
Dei & hominum dicitur.

ARTICVLVS I.

Vtrum esse mediatorem Dei & hominum
sit proprium Christo?

Resp.

RESPONDET soli Christo conuenire esse mediatorem Dei & hominum perfectiue; alios tamen posse esse mediatores dispositiue vel ministerialiter, prout scilicet cooperantur ad vnionem hominis cum Deo procurandam. Vult docere quod Christus sit primarius mediator Dei & hominum, qui homines Deo reconciliauit, alij tamen dici possunt secundarij quatenus orando &c. possunt alios disponente ad reconciliationem.

I.

Notandum licet nomen mediator possit esse nomen substantiæ, quia ratione is potest dici mediator qui naturam vtriusque extremi participat; quo modo Christum esse & dici posse mediatorem Dei & hominum non est dubium, cum in eo fuerint copulata natura diuina & humana: nihilominus presentij questione sumitur vt est nomen muneris & officij; mediator enim dicitur qui sese interponit vt duos inter se dissidentes conciliet, quod varijs modis fieri potest. 1. per modum internuntij. 2. per modum orantis & postulantis pro altero. 3. per modum satisfaciens.

Christus
varijs mo-
dis media-
tor Dei &
hominum.

Christum his omnibus modis esse mediatorem Dei & hominum patet, quia conditiones pacis pro genere humano aeterno Patri proposuit. 2. cum interpellauit. 3. perfectissime pro nobis satisfecit, & nos Deo reconciliauit. Ex quo patet non solum esse mediatorem, sed nullum alium perfectio isto modo esse posse, cum nullus purus homo vel etiam Angelus potuerit pro genere humano perfecte satisfacere; quod etiam tradit Apostolus 1. ad Timoth. 2. dicens, *Vnus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis.* Hoc munus mediatoris in Christo non distinguitur in re ipsa à munere redemptoris.

1. Tim. 2.

2.

Quamquam vero sit proprium Christo modo isto perfectio esse mediatorem, non tamen repugnat plures inferiori quadam ratione dici & esse mediatores, scilicet secundarios, quod docent Catholici contra hæreticos nostri temporis; cum plures habere possimus qui nostras miseras aeterno Patri representent, pro nobis orant, & ad reconciliationem nos disponant, vt Apostoli, sacerdotes. Quamuis enim hi non possint pro nobis satisfacere, possunt tamen pro nobis intercedere & varia mediatoris officia sub Christo pro nobis obire, & proinde hos secundarios mediatores Christus non excludit. Hoc inferiori modo B. Virgo à Patribus appellatur mediatrix, aduocata, reconciliatrix, quia scilicet per illam habemus accessum ad Deum & mediatorem primarium: eodem modo dicitur spes nostra.

Sic B. Vir-
go à PP di-
citur me-
diatrix no-
stra.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus secundum quod homo sit
mediator Dei & hominum?

Resp.

Variorum

RESPONDET affirmatiue. Notandum duos hac de re esse errores hæ-

reticorum. Prior est Francisci Stancari, qui, vt va-
rij auctores referunt, censuit Christi humanitatem
esse mediatricem, non autem personam Filij Dei,
ita vt iuxta illum errorem, humanitas non solum
fuerit principium quo operationum, quibus Chri-
stus salutem nostram est operatus, sed etiam fuerit
principium quod.

hæretico-
ti errores,
Stancari.
3.

Alter error est Christum esse mediatorem secun-
dum vtramque naturam, ita vt per vtramque tan-
quam per formale principium quo, minus media-
toris obierit, ita refert Bellarm. lib. 5. de Christo
cap. 3. sensisse Lutherum & Caluinum.

Luther &
Caluin.

Verum ex dictis de merito, oratione, sacrificio
Christi, & alijs vterque error facile potest refuta-
ri. vnde

Refutatur.

Dicendum 1. munus redemptoris non esse tri-
buendum Christi humanitati in abstracto & tan-
quam operanti *vt quod*, sed diuinæ personæ &
Christo. Prob. persona est quæ nos redemit, pro
nobis est mortua, pro nobis orauit &c. hæc autem
sunt munia redemptoris.

2. opera nostræ redemptionis fuerunt valoris in-
finiti, quæ infinitatē non aliunde contrahunt quam
ex parte ipsius operantis. hanc autem non possunt
contrahere ex parte humanitatis in abstracto spe-
ctata, sed ex parte diuini suppositi; igitur supposi-
to, & non naturæ humanæ in abstracto munus no-
stræ redemptionis est tribuendum tanquam ope-
ranti *vt quod*.

5.

Dicendum 2. Christus non exercuit hoc munus
per vtramque naturam tanquam per principium
formale quo operationum, sed solum per naturam
humanam, ita vt persona diuina subsistens in natu-
ra humana & per operationes eiusdem naturæ sa-
lutem nostram operata sit. Id vult S. Thom. præ-
senti articulo, & communiter Doctores, estque
certum de fide.

Christus
fuit media-
tor per na-
turam hu-
manam tri-
quam prin-
cipium quo
operatum
fuit.

Patet ex omnibus operationibus quibus Chri-
stus dicitur salutem nostram operatus; hæ enim
omnes processerunt à natura humana tanquam à
principio quo: per passionem naturæ humanæ nos
redemit: oratio, sacrificium & similia procedunt à
natura humana tanquam à principio quo. Adde quod
oratio & sacrificium respiciant alterum saltem se-
cundum naturam superiorem, similiter & meritum;
atque natura diuina nullum habet superiorem, qui
per operationes à natura diuina procedentes fle-
atur & excitetur ad aliquid concedendum.

6.

Quamuis ergo, vt patet ex dictis q. 1. de valore
operum Christi, vis & efficacia operum Christi
quibus salutem nostram est operatus & obijce mu-
nus redemptoris & mediatoris, fumeretur ab ipsa
dignitate suppositi, opera tamen eliciebantur ab
humanitate tanquam à principio quo.

Valorat
operum
Christi
fuerit
a di-
gnitate
suppositi.

Dices solus Deus potest renouare corda & dare
Spiritus sanctum; quæ tamen sunt munia media-
toris.

Resp. solum Deum renouare corda effectiue
saltem per modum causæ principalis; quia ratione
ea quæ in argumento recensentur non sunt munia
mediatoris; renouare verò corda, vel dare Spiritum
Sanctum per modum causæ meritorie, conuenit
Christo vt mediator; id autem præstat per opera-
tiones quæ procedunt ab eius humanitate tan-
quam à principio quo.

QVÆSTIO